



## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. VI. Quando, & quâ ratione spoliatus agens interdicto recuperandæ  
possessionis, in causis beneficialibus, vel alijs spiritualibus restituendus  
sit?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## §. VI.

Quando, & quâ ratione spoliatus agens interdico recuperanda possessionis, in causis beneficalibus, vel aliis spiritualibus restituendus sit?

**S**poliatus beneficio, si magna adversus eum præsumptio sit, quod sine titulo, aut cum titulo vitioso beneficium Ecclesiasticum obtinuerit, restitui non debet, priusquam titulum institutionis suæ exhibeat, ac justificet (ob periculum vitiosæ intrusionis) aut saltem putativum titulum alleget, & coloret (per regulam v. g. Cancellariæ de trienniali possessore, &c. Si tamen nulla contra eum sit præsumptio, restitui debet, etiamsi institutionis suæ titulum nec justificaverit, nec coloravit, uti colligitur ex c. In literis 5. h. t. & in c. 3. De procuratoribus, Cum possessionem beneficium obtinere possit Clericus, absque eo, ut hujus proprietatem habeat, aut in hoc Canonicè sit institutus. Si verò in aliis causis spiritualibus, jure decimarum v. g. jure eligendi, jure patronatus, &c. spoliatus aliquis sit, cui jus commune resistit, assistit verò spoliatori, restitui hic non debet, nisi prius titulum suæ possessionis, vel saltem præsumptionem tituli ostenderit. Prout sumitur ex c. Ad decimas. 2. h. t. in 6. cum favorabiles sint partes illius, qui juris habet assistentiam, contra eum, cui jus resistit; jura quæ in contrarium afferuntur, vel non loquuntur de casu, ubi utrumque fit, ut jus v. g. assistat spoliati, & resistat spoliato, vel loquuntur de notoriis, in quibus juris ordo servari non debet.

## §. VII.

An is, qui renuntiavit beneficio, post vel ante spoliationem petere possit restitutionem, & restitui debeat?

**S**I post spoliationem factam beneficio illi cum juramento etiam renuntiet, restituendus est, non obstante exceptione securæ post spoliationem renuntiationis. c. Sollicito, 2. h. t. Quia verisimile non est, ut ait Pontifex, renuntiationem in tali casu liberè factam fuisse, & juramentum naturam actus principalis sequitur; ita ut hæc præsumptio sit juris & de jure, contra quam non admittitur facilè probatio in contrarium *Glossa hic V. Eum spoliatum*. Nisi renuntiatio facta fuisset coram Iudice competente, qui de ea causa cognoscit, cum auctoritas Iudicis in tali casu tollat omnem violentæ spoliationis suspensionem; aut certò constet, spontè absque vi aut metu renuntiâsse spoliatum, cum per talem libertatem præsumptio illa elidatur; aut Procuratorem ad resignandum, ante spoliationem jam constituisset, cum in tali casu retrahatur renuntiatio ad tempus dati mandati de renuntiatione facienda, quo tempore nulla fuit coactio, aut post longum à spoliatione tempus nihil unquam de spoliatione facta conquerens resignâisset, quo in casu, cum concessam sibi querelam de spoliatione tanto tempore omittat, spontè videtur renuntiare; quod adhuc certius est in eo casu, quo interdico possessorio ad beneficium sibi recuperandum expressè renuntiâisset in tali casu, & in talibus circumstantiis, ut de coactione nihil præsumi possit, hæc enim non audietur

Nn 3.

dicitur